UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

De capsulis eleemosynarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62072

Visual Library

3 *Vbi conſtituendus.*
4 *Ad eius ornatum pallia Altaris non adhibenda.*
5 *Ornamenta illius paranda.*

1 IN vnaquaque Eccleſia Parochiali ſuggeſtus decenter, ad inſtructionum præſcriptum exſtruatur: vnde Parochus, alijuè concionatores ſacrã concionem, vel lectionem populo frequenti habere poſſint. 4. De Eccl. fab.

2 *In vnaquaque autem Eccleſia Parochiali, vbi Ambo conſtitui non poſſit; vnde, & Euangelium pronunciari, & ſacra concio haberi poſſit, ſuggeſtus omninò, ex tabulis ſectilibus, ijsque firmioribus, decenti opere, & forma ab eodem Euangelij latere exſtruatur; vnde, & Euangelij lectio, & concio ſacra haberi queat.* Inſt. fabr. Eccleſ. lib. 1. c. 21. De ſugg.

3 *Illud denique caueatur; vt cùm ambones, tùm ſuggeſtus in gremio Eccleſiæ, loco conſpicuo; vnde, vel concionator, vel lector, ab omnibus, & conſpici, & audiri poſſit, aptè collocati, ab Altari maiori, vt pro Eccleſiæ ratione fieri decorè poteſt, non longè admodum ſint; quò Sacerdoti, vt decretum eſt, intrà Miſſarum ſolemnia concionanti, commodiori vſui eſſe queant.*

4 Ac nè ad ſuggeſti quidem ornatum pallia Altarium vſui ſint. 5. De Eccleſijs earũ ſup. & fruct.

5 Curandum igitur erit, quàm citiſſimè per facultates Eccleſiæ fieri poterit, vt pro ſolemnium temporum, feſtorumque dierum ratione, ornamenta, ſuggeſtis ipſis propriè appoſita comparentur.

De Capſulis Eleemoſynarum.

SVMMARIVM.

1 *Capſulę eleemoſynarum non collocandæ. 4.*
2 *Qua licentia permittendę: & vbi eo in caſu accommodandę. 4.*
3 *Quot clauibus muniendę: & à quibus illæ aſſerendæ.*
Non ponendæ propè Altare indulgentiarum. De Indulgentijs. nume. 12.
Nec propè confeſſionale. De confeſſionali. nu 9.
Capſa eleemoſynaria pro celebrandis Miſſis, vbi collocanda, & quis ei præficiendus. De Miſſis ſine cantu, nu. 27.

4. De ornatu &c. ſacr. locorum.

2 NE in Eccleſia, aut pro foribus eius, neuè in Oratorijs, aliouè ſacro loco colligendæ eleemoſynæ cauſa, nè ipſius quidem Eccleſiæ aut eius, fabricæ, Rectorisuè nomine, capſula, vaſculum, mēſa, aliudué eius generis, etiam extraordinariè,
2 collocetur; aut iam collocatum, in poſterum
3 permittatur; niſi Epiſcopi conceſſu, litteris exarato: tuncque ei capſulæ, vel rei aliæ ad id paratæ, duæ claues apponantur, diuerſo fabrili opere fabricatæ; quarum altera teneatur ab eo, quam Epiſcopus nominarit; altera ab ijs, quorum nomine eleemoſyna colligetur. Si contrà fiet, pœna ſit, arbitratu Epiſcopi, tùm eleemoſyna collecta locis pijs addicatur illius item arbitrio.

4 Si quæ capſæ Epiſcopi conceſſu in Eccleſia conſtituentur, aut collocabuntur, in quas à fidelibus, vt pleriſque in locis pietatis ſtudio ſit, vel frumentum, vel legumina, vel alia quæuis eleemoſynæ nomine, conijciantur: eę nè intrà Capellę, Altarisuè, quo fidelium, eiuſmodi res offerentium, concurſus fit, cancellos, aut clathra ferrea ita ponantur, vt ipſis fidelibus, eleemoſynas collaturis, neceſſe ſit cancellos ingredi.

De Tabulato ad vſum Eccleſiæ diſtinguendæ.

SVMMARIVM.

Vt viri ſeparatim à mulieribus ſint in Eccleſia, Tabulatum conficiendum. De religioſa in ſacris locis conuerſat. nu. 7.

1 *Tabulatum ipſum, quibus in Eccleſijs, qua earum parte, & qua forma conſtituendum.*

2 *A qua parte concio habenda, vt aptandum.*

3 *Audiendæ quoque Miſſæ cauſa, quomodo accommodandum.*

Inſt. fab. Eccleſ. lib. 1. De tabulato ad vſum Eccleſiæ diſtinguēdæ.

1 E*T quoniam, ex inſtituta antiqua, à beatoq; Chryſoſtomo teſtificata conſuetudine, & in pleriſque huius Prouinciæ locis olim vſitata, in Eccleſia ſeparatim à fœminis viri eſſe debent; forma, & modus diſtinctionis Eccleſiæ eiuſmodi eſſe poteſt.*

In Eccleſia igitur, inſigniori præſertim, à Capellæ maioris ingreſſu, vſque ad ianuam maiorem, tabulatum, per medium Eccleſiæ gremium rectà ductum, columellis ligneis ſolidis, quinque cubitorum ſpacio ſingulis inter ſe diſtantibus, in pauimentoque firmiter agglutinatis, affigitur; ac ſi tabulæ ſectiles, ex quibus compactum eſt, aliquando amouendæ ſunt, canalibus paruulis in vnaquaque